

II. Addit ibidem Justinianus §. 4. „Sed quia veretur, ne forsitan quidam collusione aliqua utentes remittere videantur inter se hujusmodi Sacramentum, & ex prædicta dissimulatione nostram sanctionem deludant; sanctius omnes iudices, licet ex compromisso cognoscant, vigorem suum exercentes (quia non pro commodo privatorum, sed pro communi utilitate præsentem legem posuimus) minime tamen tale Sacramentum remitti; sed omnimodò hoc & ab actore, & a fugiente exigi: ne paulatim videatur hujusmodi res fraudari, & Sacramentum vel principalium personarum, vel Advocatorum ex quacumque parte maculari.

III. Hæc satis ostendunt, quàm enixè voluerit Justinianus hoc juramentum à Litigantibus præstari; optaveritque ne quacumque occasione intermitteretur. Rationem hujus sui voti expressit §. 8. „Sic enim non lites solum, sed etiam calumniosiores minuuntur: sic pro iudicis putabunt homines sese in sacris sibi. Si enim & ipsæ principales Litigantium partes per juramentum lites exerceant, & causarum patroni præbeant Sacramentum, & ipsi iudices propositis Sacrosanctis Scripturis tam totius causæ faciunt examinationem, quam suam proferant arbitrium: quid aliud nisi pro hominibus Deum in omnibus causis iudicem esse credendum est? Antiqua itaque calumnia quiescens & ejus ambagibus, constitutio nostra dilucida & compendiosa in tertis clareat omnibus, & sit maximum dirimendarum causarum remedium.

IV. Non obstant hæc enixâ Justiniani Declaratione, nec non communi commodo quod ex usu hujus juramenti sperandum proponit Justinianus, usus ipsius hodie in Curis Sæcularibus penè evanuit; ætenuis nimirum, quatenus à litigantibus in exordio lites præstari volebat Justinianus.

Unde dicit Petrus Gadelinus *De jure novissimo lib. 4. cap. 8. num. 22.* „Sciendum est, in Sæculari foro exactionis istius juramenti (de calumnia) rarissimum, aut nullum usum esse, etiam à litigatoribus.

V. De Gallia testatur Rebuffus in *Proœmio ad Constituti. Regias Glossâ §. numer. 50.* „In Curis Sæcularibus Regni non juratur de calumnia; & sic parum servit Rubrica *De jurejurando propter calumniam dando.* „Et in Tractatu *De Responsionibus per credit vel non*, ait: Notandum est, quod usus iudiciorum antiquus multa invenit contra Partes remedia, ut veritatem ab eis elicerent. Primò invenit, ut jurarent se nihil calumniæ causâ facturos in causâ. Verùm quia istud juramentum in initio lites præstatur, aliquando Partes in medio lites calumniabantur, & non erant memores illius juramenti; ob id statutum fuit, ut etiam jurarent de malitia, quod malitiæ causâ nihil facerent, & hoc repetebatur *Cap. 2. De juram. calum. in VI.* & differentias inter ista juramenta tradit Socinus in Rubrica *De juramento calumniae*. Quæ duo juramenta in his Curis Franciæ consuetudinariis non præstantur.

VI. Testatur Damhouderus in *Praxi Rerum Civil. cap. 151. numer. 30.* quod in Flandriæ Provinciali Concilio, & in magno Mechliniensis Consilio hoc juramento (de calumnia) non utantur. Conjecturam istius non usus subiungit: Fortassis quia timendum sit, ne partes hujusmodi prædictum juramentum præstando sæpè pejerarent: Et contra præceptum divinum peccantes suam perderent animam potius quam litem.

VII. Dixeratque jam pridem Baldus ad *L. si post Cod. De Evict.* quod juramentum calumniæ contemnat, ut non æstimetur uno obulo; quia facti sumus contemptores Dei, & religionis ejus. Dicitur hoc Baldi referens Maranta *De Ordine jud. parte 6. tit. De juramento numer. 11.* ait: „Unde ego puto, quod litigatores nostri temporis potius jurant de calumnia committenda, quam vitanda; & ideo melius esset, ex toto tolleretur à iudicio causâ vitandi tot perjurata.

Eandem rationem abrogati hujus Juramenti in Gallia allegat Rebuffus loco citato ex *Proœmio*. Quæ ratio si

sufficiens fuerit ad abrogandum Juramentum contra calumniosas lites introductum, facile erit intelligere, quàm multa juramenta hodie ob eandem rationem abrogarentur.

VIII. Porro monet ibidem Damhouderus *numer. 31.* quod „in istis Conciliis bene utantur, durante processu, juramento malitiæ, hoc est, quo jurent sese extraordinarias dilationes ad calumniandum non peturos, vel accepturos, neque etiam impertinentes exceptiones ac productiones ad processum sive ad iudicium differendum, aut suas Partes vendendum proposituros & allegaturos.

IX. Subjicit dein *numer. 32.* differentiam inter Juramentum calumniæ & Juramentum malitiæ: „Quod Juramentum calumniæ datur & conceditur dumtaxat semel, statim post lites contestationem: Juramentum verò malitiæ datur & conceditur toties quoties iudici æquum & iustum, & expedire videbitur, non minus ante, quam post lites contestationem.

X. Tamen si Juramentum calumniæ, quod à litigantibus in exordio lites præstari volebat Justinianus & totam litem spectabat, hodie in Curis Sæcularibus passim abolitum sit, nihilominus in plerisque Curis Sæcularibus perseverat usus Juramenti, quod olim *malitia*, hodie etiam de *calumnia* vocatur, præstandum super certis articulis aut propositionibus in progressu lites, prout iudex instante Parte arbitratu fuerit. Unde rectè dicit D. Christinæus in notis ad Bugnionium *lib. 1. c. 3.* „Ad mores Belgarum quod attinet, quamvis in iudiciis non solet frequentari eodem quo apud Romanos modo; non tamen ejus usus planè exolevit. „Vide etiam Merulam in *Praxi lib. 4. tit. 64.*

XI. Illud apud omnes indubitatum est, frequentiore hujus Juramenti usum perseverare in Curis Ecclesiasticis; atque à litigantibus crebrò præstari, teste Gudelino loco citato. Et Rebutius in citato Tractatu *De Responsionibus per credit vel non*, postquam dixit Juramenta de calumnia & de malitia in Curis Sæcularibus consuetudinariis non præstari, immediate addit: „Sed in Curis Ecclesiasticis observatur Juris Pontificii, cui dispositio, & hæc Juramenta servantur.

XII. Admodum verisimile est, Pontifices ad imitationem Justiniani Imp. ad amputandas & præveniendas calumniosas lites hoc Juramentum induxisse in forum Ecclesiasticum postquam in illud stylus forensis litigandi intravit. Neque enim legitur antiquitus ulli indictum Juramentum calumniæ, ut etiam in quadam Decretali testatur Eugenius III. relatâ in Appendice ad Concilium Lateranense sub Alexandro III. *part. 2. cap. 2.*; & in prima Collectione Decretalium apud Antonium Augustinum *Capit. 3. De juramento calumniae*. Ubi respondit Pontifex, quod „Romana Ecclesia in his causis, in quibus de decimis Ecclesiæ, & Rebus spiritualibus, tantum agit, Juramentum calumniæ nec dare, vel recipere conluevit: eo quod hujusmodi causæ non ex Legum distinctione, sed ex Canonum æquitate finem debitum sortiuntur, Canones autem (ait) Juramentum calumniæ nullò prorsus indicunt.

XIII. Verùm quidem est, in *Cap. 2. De juramento calumniae*, ubi prædictum Responsum Eugenii refertur, finali huic clausulæ inserti hæc verba; *In hujusmodi casibus vel causis*, quæ generalitatem prædictorum verborum restringunt ad causas de quibus antè actum erat: sed sciendum est, satis familiare fuisse Raymundo Decretalium Gregorii IX. Collectori, aliqua antiquis Decretalibus addere, vel detrahere, prout disciplinae sui temporis congruere videbatur: quemadmodum latius ostendi in Tract. Historico-Canonico in *Canones parte 8. cap. 1. §. 4. & 5.*

Hoc equidem constat, ætate Raymundi Juramentum calumniæ in foro Ecclesiastico, in aliquibus saltem causis, fuisse exactum; atque ad normam Juris Justinianæ sensim magis magisque stabilitum esse.

XIV. Imprimis itaque inspectâ hodiernâ Juris Pontificii dispositione, nec Actori, nec Reo suis allegationibus uti permittitur, nisi præstato hoc juramento *Cap. 2. §. 1. De juramento calumniae in VI.*

XV. Sed, si de calumnia, seu de veritate dicenda in primo litis exordio non juretur (ut debet) poterit postmodum in qualibet parte litis jurari; ut Bonifacius VIII. in *Cap. 1. eod. in 6.* rationem addens: Cum hujusmodi juramentum præstari ab initio, de substantia Ordinis Judiciarii non existat.

XVI. Quin & declarat ipse Bonifacius ibidem §. 1. quod „propter omnium quoque *lacitè* in tota causâ calumniæ juramentum, judicialis processus aliàs factus legitime, non est nullus, nec etiam annullandus.

XVII. Hinc deducit Glossographus, hic probatam esse à Bonifacio eorum Antiquorum opinionem sustinentium, quod juramentum hoc dumtaxat necessario sit præstandum, quando à parte est exactum. Si enim non exigatur, *lacitè* remissum censetur: quæ remissio verita non est, modò ablit collusio.

Unde & in Ordinationibus Curiarum Eccles. Provinciarum Mechlinens. *tit. 1. art. 21.* dicitur: „Lite per responsonem Rei contestatâ, *petentibus Partibus*, eadem die juridicâ jurabitur de calumnia.

XVIII. Dicit insuper Bonifacius VIII. in citato *cap. 2. §. fin.* „In omnibus autem causis, nedum ante, sed etiam postquam litis fuerit contestata, sive de veritate, sive de calumnia sit juramentum, in ipsis: potest Iudex à Partibus exigere juramentum malitiæ, quoties viderit expedire.

Notat hic Glossa: „licet ex quo juratum est de calumnia, amplius in eadem causâ de calumnia jurandum non sit, ab eodem: de malitia tamen bene juratur, puta cum suspicatur Iudex quod *malitiosè* proponatur exceptio, petatur dilatio, &c.

XIX. Moribus hodiernis non distinguimus scrupulosè juramentum malitiæ à juramento calumniæ, quasi hoc de tota lite intelligerecur, atque semel dumtaxat peti posset: sed & illud quod super certis articulis in progressu lites à Iudice ad instantiam Partis imponitur, vocari solet juramentum calumniæ; idque non tantum in Curis Sæcularibus, (de quo supra) sed & Ecclesiasticis. Unde in Ordinationibus Curiarum Eccles. Provinciarum Mechliniens. *tit. 1. art. 12. De juramento calumniae* dicitur: „Illud quidem juramentum intra certa iudicij tempora non coactamus; sed id poterit Iudex indicare, quando & quoties expedire viderit.

XX. Juxta Decretalem Eugenii III. supra citatam, non esse exigendum hoc juramentum in causis spiritualibus, præsertim prout exprimitur à Raymundo in *Cap. 2. §. eod.* manifestum est, agnoscitque Bonifacius VIII. in *Cap. 1. §. fin. eod. in 6.* quod Canones in causis spiritualibus non indicant alicui juramentum calumniæ; ipse autem perpendens etiam in hujusmodi causis posse calumniari, utile reputavit, quod simul, sicut (ait) plerique observant, tam de veritate dicenda, quam de calumnia (ut via præcludatur calumniis) jurari debeat in iudicij; nimirum spiritualibus causis.

XXI. Nec tantum in iudiciis ordinariis, sed & in summaris à Iudice exigi posse juramentum calumniæ, patet ex *Clementina sæpe De V. S.* ubi expressè declaratur, quod si alicui commissâ sit causâ, ut in ea *de plano & simpliciter*, ac sine strepitu & figura iudicij procedatur, citationem tamen, ac „*præstationem juramenti de calumnia*, vel malitiæ, sive de veritate dicenda, ne veritas occultetur, per commissionem hujusmodi non intelligi exclusam.

XXII. „Pœna reculantis hoc juramentum cum præstandum fuerit, est, ut Actor ab instituta cadat actione, Reus autem haberi debeat pro confesso; ait Pontifex in *Cap. 7. §. fin. De juramento calumniae*; & renovatur in citato *art. 12. Ordinat. Curiarum Eccles.* Monet autem Glossa ad dictum §. *finalem*, quod reculantes hoc juramentum cadant causâ per sententiam iudicis: „Quia Iudex procedit contra eundem (Actorem reculantem) ac si nihil probasset, Reum absolvendo, & eodem modo de Reo.

XXIII. Quid autem complectatur juramentum de calumnia, expressit Glossographus quatuor versiculis; & latius ac

clarius explicat *art. 13. tit. 11.* Ordinationum Curiarum Eccles. quo & mandatur, ut parti, quæ de calumnia jurare debet, vulgari idiomate omnes clausulæ juramenti exponantur. Verba articuli sunt: „Parti verò, quæ de calumnia jurare debet, vulgari idiomate omnes clausulas juramenti calumniæ exponi volumus: videlicet, quod credit se habere bonam causam; quod interrogatus non negabit id, quod verum esse crediderit, quod non uretur scienter falsâ probatione; quod dilationem non petit in fraudem, ad protelandam litem; quodque nihil dederit, aut promiserit, nec dabit, aut promittet pro victoria obtinenda, nisi illis, quibus leges & canones dare permittunt; sicutque in Actis mentio, an expositio ista facta fuerit, aut non: Scriba verò aut Grapharius, qui circa hanc clausularum expositionem seu dictam notitiam, negligens fuerit, multabitur uno floreno.

XXIV. Juramentum hoc remitti apparet Clericis notissima Constitutione Marci Imp. in *L. 25. Cod. de Episc. & Clericis*, cuius meminit Pontifex in *Cap. 1. De juramento calumnie*, ubi per errorem pro Marciano legitur Marco. Et licet Marcianus tantum videatur loqui de Clericis Constantinopolitanis; tamen cum ratio à Marciano sit generalis: quia *Ecclesiasticis regulis & Canone à Beatissimis Episcopis antiquitus constituto Clerici jurare prohibentur*, eam trahendam esse ad omnes Orbis Christiani Clericos, primum Henricus II. Imp. decrevit, Constitutione quæ extat *Lib. 2. Engum Longobardorum tit. 47. c. 11.* quæ „decretit, & imperiali auctoritate & irretactabiliter diffinit, ut nec Episcopus, nec Presbyter, nec cujuscumque Ordinis Clericus, non Abbas, non aliquis Monachus vel Sanctimonialis in quacumque controversia, sive criminali, sive civili jurandum quaerit, libet ratione compellatur subire: sed Advocatis suis propriè idoneis hoc officium debeat delegare.

XXV. Hanc Henrici Constitutionem laudat Pontifex in citato *Cap. 1.* finaleque clausulam refert his verbis: Sed idoneis defensoribus (si expedire Ecclesiæ suæ noverit) hujusmodi officium liceat delegare; „Hic notat Glossa verbo *Defensoribus*; id est: Syndicis, Actoribus, aut Procuratoribus: licet nomina sint diversa, officium tamen est idem; unde sufficit sive dicatur, constituimus talem Syndicum, Procuratorem, sive Actorem.

Hinc receptum est, juramentum hoc à personis præsertim Ecclesiasticis per Procuratorem speciali mandato habentem præstari posse; nisi Iudex inspectâ controversiæ qualitate, & personarum principalium conditione, ipsis potius, quam eorum procuratoribus etiam speciale mandatum habentibus, juramentum deferendum judicaverit *Cap. 3. §. eod.*

In hoc enim Capitulo dicitur: „In pertractandis causis sacramento calumniæ non passim præcipimus exhiberi, sed causæ & principalium personarum qualitate inspectâ, quandoque per ipsas principales personas quandoque per ceteros, quos qui causam omnino non nesciant, in animam jurantis illud præcipimus præstari.

Dependet ergo à Iudicis arbitrio an juramentum præstandum sit per ipsas personas principales, an per Oeconomos sive Procuratores.

XXVI. Illud hic notandum, quod dicatur præstandum per Oeconomos qui causam omnino non nesciant, id est (ait Glossa) bene sciant: aliter enim anceps subiret juramentum, quod facere non debet. „Quod utinam jurantes omnes bene attenderent.

XXVII. Porro Pontifex in citato *Cap. 1.* postquam probavit Constitutionem Henrici Imp. subiungit hanc clausulam: „Verùm cum hac moderatione, ut Episcopus inconsulto Romano Pontifice, vel quisque Clericus inconsulto Prælato suo minime jurare audeat.

XXVIII. Ad hæc verba monet hic Glossographus: „Difficile videtur, ut Episcopus propter hoc debeat requirere Romanum Pontificem: sed hoc non servatur. Unde si Episcopus (ait) litigat in propria persona, ipsemet præstat juramentum de calumnia: nec est necesse requi-

requirere Papam *Cap. ult. §. eod.* Clericus facilius potest requirere Episcopum; unde tenetur primo requirere ipsum.

XXIX. Verum nec hoc de Clericis hodie servatur, praesertim dum exigitur iuramentum à Judice Ecclesiastico.

At de iuramento praestando à Clericis coram Judice saeculari legitur in Synodo D. Mechliniensis *tit. 17. cap. 5.*: Clericus coram Judice laico testimonium daturus, vel quodcumque iuramentum praestiturus (quod etiam sine nostra, vel alterius Ecclesiastici legitimi Superioris licentia ei non licet) in manibus personae Ecclesiasticae iuramentum praestet.

Sed neque in iudiciis saecularibus communiter attenditur, praecipue si ipsi Clerici coram illis in materia profana litigent; quo casu solent non secus ac laici in manibus iudicis laici jurare. In Concordatis inter Episcopum Cameracensem & Consiliarios Hannoniae anni 1541. *art. 20.* cavetur, quod Ecclesiastici in materia merè civili, tenebuntur requisiti ferre testimonium veritatis coram Judice saeculari, neque pars quae vult testimonium exigere teneatur ullam licentiam requirere; Et si testare tentant, cogentur per Decanos suos Christianitatis. Verba articuli sunt: *Item les gens d' Eglise en matière pure civile s'ils en sont requis pourront & devront déposer & porter leur témoignage de vérité devant juges seculiers sans que la partie, qui le veut produire, doivent demander quelque licence, si lesdits gens d' Eglise font aucune difficulté, seront contraints par leurs Docteurs de Christianité de ce faire.* Id est: Item personae Ecclesiasticae in causis purè civilibus, si rogentur, poterunt & debent testimonium dicere & veritatem coram saecularibus Judicibus testari, nec adstringetur pars quae eos vult producere, veniam aut ullius assensum rogare, si verò dicti Ecclesiastici difficles in ea re se praebant per Christianitatis Decanos suos ad id faciendum compellentur. Extant parte 1. *Edict. Brab. lib. 1. tit. 1. cap. 3.*

XXX. Lite contestata, ac praestito iuramento calumniae, solent litigantes utrimque petere inducias sive dilaciones, ut interea ea quae ad fundandam suam intentionem necessaria sunt, sibi comparare, & in ordinem redigere possint.

Dilatio enim judicialis, de qua hic agitur, est iustum temporis intervallum, quod ad aliquem actum judicialem commodius perficiendum conceditur Actori vel Reo.

XXXI. In qualibet parte iudicii dari à Judice solent dilaciones, intra quas litigantes ad suam intentionem probandam, aut absolvendum ea quae à Judice ad instructionem causae iunguntur, se praeparare possint. Sive spectemus dilaciones quae initio litis dantur, & vocati solent *citatoria* vel *deliberatoria*, sive quae in progressu litis, dicunturque communiter *probatoria*, de Jure Civili habent certa tempora designata, toto titulo Codicis *De Dilacionibus*; eaque nec iterari posse edicitur in *l. 7. Cod. De Ferris*.

XXXII. Jure verò Canonico termini sive tempora dilacionum pendunt ab arbitrio Judicis; *Cap. 24. §. De Offic. Deleg. cap. 1. §. De Sententiâ & re jud.* atque hac ratione dicuntur dilaciones de Jure Canonico esse *arbitrarias*.

XXXIII. Hac autem decisio Juris Canonici passim moribus ubique recepta est; testanturque passim Pragmatici, de consuetudine in omnibus passim Curias etiam saecularibus dilaciones esse arbitrarías. Ex stylo communi, & consuetudine Curiarum non servantur *juris* dilaciones, (ait Bugnion *De Legibus abrogatis lib. 2. cap. 104.*) sed stylus & quaelibet Curia suas *arbitrarias* dilaciones, ac eas concedit.

Deinde subjungit idem Auctor: „Nec tamen propterea dicendum est, dilaciones in arbitrio Judicum positas esse, quinimò pro rerum necessitate largiendae sunt; atque, ut refert Ulpianus in *L. NONNUMQUAM ff. De iudiciis*, dilaciones dandas aestimare oportet eum, qui jus dicit, pro conditione ac qualitate causae, personae, vel temporis, & ita ordinem edictorum & compendium moderari.

Id desumptum apparet ex Glossa ad *Cap. 2. §. De Dila-*

tionibus verbo *Plenè*; ubi dicit: „Dilaciones istae hodie videntur arbitrariae ut Judex consideratà locorum distantia, & temporis qualitate inducias concedat.

XXXIV. Non igitur eo sensu dilaciones sunt *arbitrariae*, quasi tempora earum dependerent à libero planè nullis legibus circumscripto arbitrio & voluntate Judicis; sed quod Judex omnibus praedictis maturè expensis, terminos sive dilaciones ita determinare, sive arbitrari debeat, ut nec per earum nimiam brevitate litigantibus probationis & instructionis tempus denegetur; neque per earum prolixitatem & multiplicationem aut prolongationem lites protrahantur, & litigantes suo Jure per multum temporis fraudentur: à qua inordinata dilacionum concessione appellari posse dicitur in *Cap. 1. §. eod.* & uno consensu docent Canonistae, hodieque in usu est.

XXXV. Verum ne Judices in hac dilacionum vel restrictione, vel prolongatione seu extensione aberrant, in omnibus Curiarum tam saecularium quam Ecclesiasticarum Ordinationibus, & numerus & tempora ac intervalla dilacionum designari solent: quos terminos non sine rationibus urgentibus & causae cognitione transgredi licet; ubi & videmus rationem praemissorum habitam esse. Sic enim videmus in Ordinationibus Curiae Brabantiae *art. 305.* incolis assignari terminum sive dilacionem quindecim dierum, exteris verò trium septimanarum.

XXXVI. Et *art. 386.* mandatur Apparitoribus, ut dum litteras manutentionis aut alterius provisionis cum clausula citationis in casum oppositionis insinuant, diem comparitionis nec nimis brevem, nec nimis longum assignent, sed convenientem, ita ut ad minus *duo* dies martis, vel ad summum *tres* intercedant; nisi de consensu utriusque partis, vel nisi in ipsa provisione ipsis injunctum sit longiorem terminum assignare; vel nisi *vacantia* intercederet: quia tunc assignanda esset prima dies iudicialis post vacantias; verba articuli sunt: *Soo sullen sy den ghenes die hen opponenen, vuygheringe of vertreck maecten, gheven en de bececkenen daeg, te compareren voor onser voorvoemien Raede, sonder den selven dach te seer kort, of de langk te stellen, maer tamelyck ende redelyck: te vverten datter ten minsten vovee Dynst-daghen tusschen beyden zyn, ende ten hoeghsten niet meer dan dry Dynst-daghen, ten vware by consense van beyde den partien, of dat byder provisie hen gheordineert vverde corten of langharen dagh te gheven, of ten vware dat de vacancien tusschen beyden vwaren, soo soude den dagh ghenomen vworden op den eersten dagh van rechte naer de vacancien.* Id est: Tum opponenti, reculanti aut declinanti diem constituent & praesentent, quae coram consilio nostro praefato compareat, nec diem illam nimium accelerabunt aut procrastinabunt; sed medium quoddam ex aequitate tenebunt, videlicet ut saltem dies martis iteratò intercedat, tertioque ut summum, nisi utraque pars consentiret, aut ipsa provisio brevius aut longius tempus decerneret assignandum, aut nisi vacationum ferie intercederent, quo casu prima post vacationem iudicialis dies constitueretur.

XXXVII. In Ordinationibus Curiarum Ecclesiasticarum Provinciae Mechliniensis mirè elucet hac dilacionum sive terminorum moderatio *tit. 11. art. 36.* ubi statuitur, ut „concedantur ad probationes faciendas prius Actori, deinde Reo, vel conjunctim utrique eodem tempore, secundum negotii, & personarum qualitatem, & Judicis discretionem, si testes in civitate habitaverint, vel infra quatuor milliaria, sub prima & secunda dilacione, tres septimanas; sub tertia dilacione, quindecim dies, & hoc sine continuatione, nisi constitit de debitis diligentibus factis, & quod per partem probare debent non steterit, quominus satisfecerit: quo casu, juxta negotii & personarum qualitatem, poterit Judex tertiam dilacionem continuare, vel prolongare. Si verò testes ultra quatuor milliaria abfuerint (idem intelligentes de instrumentis producendis, & aliunde adferendis) tunc Judex juxta distantiam locorum, tertium, & temporum qualitatem, terminum statuet ad tres septimanas vel ad mensem, vel

aliàs, prout judicaverit expedire, sub duabus dilacionibus, & si illis pendentibus per partes non steterit, statuit Judex alios quindecim dies, vel tres septimanas, secundum loci distantiam, pro tertia dilacione. Nunquam verò pars, vel Procuratorum aliquis admittatur ad quartam dilacionem, nisi secundum formam juris communis, ut videlicet quartam dilacionem petens, juret, quod per se, aut per alium testificata non didicerit, quod per fraudem, vel per dolum, prorogationem aut dilacionem non petat, quodque testes, quos producere, instrumentave, quae exhibere desiderat, prius habere non poterit.

Deinde *art. 37.* additur: „In causis summaris, & Actor ad probandum intentionem suam, & reus ad probandum exceptiones, si quas dederit, non habebunt pro prima & secunda dilacione, nisi tres septimanas sine ulla continuatione; pro tertia verò dilacione, habebunt quindecim dies tantum, nisi testes abfuerint, aut aliud impedimentum probetur, quo casu, terminus prorogabitur secundum conscientiam Judicis, nullo verò modo quarta dilatio conceditur.

XXXVIII. Porro sicuti iudicis est, litigantibus ordinarias ac necessarias causas instruendae suae & defensionis dilaciones annuere; ita & ipsi incumbit extraordinarias haud temerè concedere, atque superfluas rejicere, omnesque intra legitimam a convenientes terminos concludere, propter enormitatem damnae, & interesse, quae plerumque ex indebitis dilacionibus, & justitiae procrastinationibus enascuntur ait Damhouderus in Praxi rerum civil. *cap. 114. num. 5.* Mala ex his procrastinationibus sequi solita enumerat *num. 6.* Ita ut (aut) pars ob has saepe deperiret, aut mendicaret, vel maleficia patrare cogatur, aut morte contabescat, & moriatur, liberique ipsius squalloribus & inedia pereant, ne pejora commemorem.

Deinde concludit: „Ideoque hujusmodi pericula & mala tam Deo ingrata, quam hominibus invida, iudicibus erunt praemeditanda, & justitiae progressus legitime ab eis accelerandus.

XXXIX. Hinc in Ordinationibus Curiarum passim multa contra superfluas hasce dilaciones & litem procrastinationes occurrunt: atque imprimis in Ordinationibus Curiarum Eccl. Provinciae Mechl. *tit. 11. a. 3.* decernitur: „Ad lites abbreviandas, nolumus, quod terminus absentiae, nullave dilatio detur Actori ante conclusionem, vel libelli exhibitionem: quod & in causis appellationum servabitur, ut videlicet primo comparitionis termino gravamina exhibeantur; abrogantur penitus modum procedendi, qui alicubi inolevit, quo Procuratores terminum ad gravamina exhibenda petere solent; cum quilibet sciat, vel scire debeat, cur adversarium in jus vocarit, aut deniq; cur ad superiorem iudicem appellavit. Et haec omnia, nisi forte Officialis ex officio, iustaque de causa unicam dilacionem concedendam duxerit, quae elapsa tenebitur Appellans, sive Actor, saltè pertinenter in materia appellationis, aut aliàs concludere.

Et *art. 20.* generaliter dicitur, quod Judex omnes *arbitrarias dilaciones*, quantum fieri poterit, tenebitur abbreviare. XL. Quia verò nonnullae causae ex procrastinatione specialiter abbreviandae, & difficilius indulgendae sunt.

Unde in citatis Ordinationibus eodem titulo *a. 2. 1.* statuitur: „In causis verò summaris supra tactis, ac miserabilium personarum, alimentacionis, divortii, & incarcerationum de triduo in triduum procedatur, & omnes dilaciones non necessariae praecedantur.

Id ipsum jam statutum erat in Synodo P. III. Cameracensi *tit. 2. cap. 4.* Imò ea potest esse causarum & personarum ac locorum conditio, ut non tantum *tridui*, sed & multo breviorum terminum Judex praescribere merito debeat; quemadmodum & saepe in causis accelerationem requiritibus fieri videmus: ut proinde in his plurimum valeat prudens & iustum iudicis arbitrium.

XLI. Cum protractio causarum Beneficialium, praesertim

Curatorum soleat secum trahere Ministrorum defectum, nec non & Clericos forensibus tricis tenere implicatos, & à divino servitio abstractos, merito in his causis dilaciones & termini praecedendi & abbreviandi sunt; quod & Ordinationes Curiae Brabantiae insinuant *art. 444.* Verba articuli sunt: *Dat-men in de vorisz materien van possessien van beneficien sommierlyck procederen sal, ende dat alle dilayen peremptoir sullen zyn, ende dat-men maer een dilay accorderen en sal, om d'enqueste van partien te doen, indien datter eenige vallen.* Id est: Ut in praedictis causis circa beneficiorum possessionem summam res agatur, omnique ampliatio praecisa sit, unicaque dumtaxat prorogatio concedatur, ut partium inquisitio, si qua sit opus, instruat.

XLII. Et Justinianus in *Novella 79. cap. 2.* voluit, lites Monachis illatas accelerari, „ut (ait) non mens eorum occupetur circa litem sollicitudinem; sed velociter liberati, sacris operibus obsecudent.

XLIII. Juxta ordinarium stylum Curiarum Ecclesiasticarum solent Reo citato dari tres dilaciones sive termini ad comparandum; ita tamen ut omnis termini sive dilacionis lapsus ipsum non comparentem constituat in aequali contumacia; & contumaciae nonnullis effectibus subjiciat.

Si enim Reus ad primam citationem in termino praefixo, „non compareat, ne Praecuratore in causis Civilibus mittat, secludetur ab omni exceptione *declinatoria*, & in expensis contumaciales condemnabitur.

XLIV. „Si nec secundo citatus compareat, secludetur ab omni exceptione *declinatoria*, & iteratò in expensis condemnabitur, uti habent Ordinationes Curiarum Ecclesiasticarum Provinciae Mechl. *tit. 11. cap. 4.*

Addunt citatae Ordinationes, quod secundo termino non comparente Reo, „decerneretur tertia citatio sub poena seclusionis à peremptoria in litteris exprimenda. Quod si nec sic citatus compareat, accusata contumacia, delatitque Actis causae Judex determinabit, prout juris erit, & rationis.

XLV. Post tertiam igitur citationem non comparens Reus verè contumax constituitur; & si post hanc compareat, & audiri desideret, non audietur, nisi *refusus expensis contumacialibus*, uti statuitur in dictis Ordinationibus *art. 7.*

XLVI. Haec sat ostendunt, etiamnum hodie mentem Ecclesiae esse, ut lites, quantum fieri potest, abbrevientur, omnesque dilaciones non necessariae rescindantur; quod & ipsa Synodus Tridentina sat ostendit *Sess. 24. cap. 2. De Reformatione*, decernens, ut „causae omnes ad forum Ecclesiasticum, quomodolibet pertinentes saltem infra biennium à die motae litis terminentur: alioquin post id spatium liberum sit partibus vel alteri illarum iudices superiores, aliàs tamen competentes, adire, qui causam in eo statu, quo fuerit, assumant, & quamprimum terminari curent.

XLVII. Rarus aut nullus penè est hodie Decreti hujus usus quoad recursum ad iudices superiores ob lapsum biennii à die motae litis; sed solent causae etiam ad plures annos protrahi, & sine peremptione instantiae, aut mutatione iudicis coram eodem iudice continuari: quia facile ostenderetur, quod non steterit per iudicem, quò minus intra dictum tempus causam definiret: sed vel ob qualitatem causae, vel cavillationes partium; quo casu Decreto locum non esse declaravit S. Congregatio teste Fagnano ad *Cap. VENERABILIS, §. De iudiciis*.

Indubitatum interim est, mentem Synodi Tridentinae fuisse, ut causae in foro Ecclesiastico quam citissime ac brevissime absolverentur, ac saltem ultra biennium non protraherentur; ut ipsi iudices praesertim Ecclesiastici allaberent, omnemque curam impenderent, ut ipsos Fideles à litigiis, & forensibus jurgis quam citissime eximerent, & in veram concordiam & pacem ac tranquillitatem adducerent: factique approbarent, se nequaquam lites, discordiarum & odiorum seminaria, sed pacem & charitatem inter ejusdem Ecclesiae filios quaerere: seque optare, ut omnia jurgia, & quaestiones summarè ac amicablem potius componere possent, quam judicialiter discutere & decidere deberent, exemplo Sanctorum Patrum & Episcoporum,